



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Hildegardis V. 17. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

fecissent. Erat porro in SATYRO ea animi simplicitas, ut columbam, ea prudentia, ut serpentem, virtutum fragrantia tanta & copia, ut hortum iure dixisset. His ille praesidiis instructus rem fratris domesticam ita administrabat, ut pietas familiam duceret. Eripi sibi oculos credebat Ambrosius, cum ex oculis SATYRVS abiret. Abibat tamen, cum negotia id exigebant. Et ecce navim conscendit SATYRVS, sed non sine armamentis. E collo Angelorum panem suspendit. Mox venti insurgunt & fractus navim expugnant. At SATYRO naufrago non comectus, non vela, remi, malus, non anchora deest, omnia haec adsunt in SS. Eucharistia. Illo succollante, quem collo ipse ferebat, emergit, & Anathema templo ipsum Servatorem suum gratis donat. Credit in portu se esse, & fuit, non tunc quidem, sed paulo post, cum beatam mortem defunctus est. Verum tunc naufragum Ambrosium lacrymis vidisses, Ex ipso D. Ambrosio.

Beatus qui sanctae Communioni atque orationi tanquam caelestis Angelus incumbit, & mundis quocumque cogitationibus vacat, neque aditum praebet impii demoni, ut animum suum expugnet & abducat a Deo Servatore. S. Ephrem in Beatitu.

S. HILDEGARDIS V. 17. Septembris.

Nescio quid de HILDEGARDE sentiendum, mundumne deseruerit, an potius nunquam in mundo; quippe XIX. annorum virguncula inter virgines sceras adlecta. Caestia ab ipsis oculis videre habuit, numque haec prodidit, quantum sermone non potuit. Litteras, quas nunquam scripsit, scripsit tamen, easque non sua lingua: atque ut caritatem scires olim, quod canere alii despe-

desperabunt, carmen, jam tunc absque doctore
 scitissime modulabatur. Vatum etiam sacrorum
 oracula fideique nostrae volumina legebat & ex-
 plicabat puella, ut ipsissimam seculi illius Sibylam
 Bernardus laudaret, & in concilio Rhemensi Eu-
 genius PP. probaret. Cæterum visa caelestia mor-
 bus comitabatur ferè continuus, qui castigabat
 scilicet timidam, quoties proderet hominibus
 monita celo data negligeret; fuitque, cum lectio
 affixam ita undique oppugnarunt dolores, ut ce-
 dere anima & velle deditioem facere jam jam
 videretur. Sed præsidio Angeli venerunt è Primi-
 pili Michaëlis cohorte, qui atros Genios unaque
 morbos omnes in fugam egerunt. Dum portus
 vixit, mira egit innumera, lynceoque vultu ipsius
 cordis latebras inspexit, sensaque animi obtenta
 suo deprehendit. Funus illustravit iris gemina in
 caelo visa, hanc lux coronabat lunæ circumum
 ferens, quem itidem crux ornabat, multiplici
 mox incremento innumera. Id miraculum super
 defunctæ domum descendit. Et ascendere nos dis-
 bitamus tam familiariter invitati? *Ex Suario.*

*Beatus qui puris cordis oculis Deum semper intue-
 tur, quiq; ue bonis ac honestis colloquiis delectatur, et
 à pravis ac turpibus, quæ bonos mores corrumpunt, ab-
 horret; quoniam minimè fiet diaboli mancipium.*
 S. Ephrem in Beatitud.

S. FERREOLVS M. 18. Septembris.

ANnum à Christi ortu tertium supra crecentem
 testinum victoriis suis nobilem fecit FER-
 REOLVS, non tam militum quàm Martyrum ar-
 telignantus. Hostis, qui cum ei bellandum erat,
 atrox & versipellis Crispinus Procol: fuit, ut qui
 modò